

Divinitatem & officium Christi, & quidem, quod ad *integrum verum* 39. spectat, reperimus ibi tam (N) *adhortationem* ad scrutandam Scripturam, quam (2) *adhortationis rationem*, eamque duplicem: *primam*, quia juxta ipsorum Judæorum sententiam Scripturæ S. viam ostendant ad *vitam eternam*; *secundam*, quia *testentur de Christo*; quorsum accedit *tertia* in versu sequente 40, quia Judæi *nolunt venire* ad Christum, ut vitam habeant, unde sc. necesse sit eorum pertinaciam per Scripturas refellere, ut rectè statuit B. S. Schmid. Colleg. Bibl. post. loco 1. §. 17. Cæterum rationes illas incidenter quidem perlustrabo Sect. 2; verum ad harmoniam Veteris & Novi Testamenti juxta dicta ab initio allegata ostendendam primum saltem membrum, nempe *adhortationem Christi ad scrutandum Scripturam S.* ex professo tractabo, ubi reperitur (I.) *Subjctum*, quod *adhortatus est Christus* (II.) *Obiectum* scrutandum (III.) *Actus*, & (IV.) *modus*, de quibus omnibus in Sectione secunda agendum erit.

§. 5. *Dictum Jesaianum* sequenti gaudet connex. & dispositione. Postquam v. 1. tanquam in *Exordio* præceptum omnibus gentibus, ut audirent, secutaq; esset propositio de ira DEI, vindictam adversus gentes, populi DEI inimicos, exercitura, tam generatim v. 2, quam speciatim erga Edom v. 5, adjuncta utrobiq; amplificatione vindictam illam graphicè pariter ac majestaticè repræsentante usq; v. 15, *conclusio* demum duræ illi Prophetiæ annectitur hoc versu 16. & 17, infallibilem prædictionis memoratæ certitudinem ob oculos sistens; unde commendatur inspectio atq; scrutinium *libri Jehovæ*: Ipsa autem specialis verborum Jesaiæ ante citatorum dispositio eadem esse debet, ac illa, quam ante circa Johanneum dictum attuli, quare & quatuor istæ partes hic quoq; ob oculos sunt sistendæ. Ad meliorem interim occurrentium quorundam dubiorum resolutionem quæstiones nonnullas adjungam una cum earum resolutione, *Sic itaq;*

*Quæstio 1.* Quodnam illud festum sit tempus, in quo *adhortatio Joh. V, 39*, contenta, à Christo fuit prolata? Resp. Jam ante dictum est, intelligi *Festum Paschale*; secundi nempe ab inchoato Christi Ministerio anni. Interim hoc ipsum non adeò clarè à S. Johanne proponitur, ut non Interpretes quidam etiam ex optimis aliam hic foverint opinionem, Sic non